

ras istius Apostolici 1. Tim. 6. *Avaritia est radix omnium malorum.* (3) Forma vel Modus. Genus insidiarum, cujusmodi homicidium; Non enim fortunæ, sed vitæ Gedaliæ insidiæ structæ dicuntur. In II. particula *Johanan* recipit se amore Gedaliæ, ac patriæ clam interfectorum *Ismaelem*; Satius enim esse ducebat prævenire, quàm præveniri; Satius item hominem perfidum ac sceleratum perire, quàm *Gedaliæ*, hominem innocentem, adeoq; Judæos in *Palæstina* adhuc residuos dissipare. In III. demum & ultima dissuadet *Gedalias* istud homicidium geminâ vice, quâ in re testatum reddidit insignem suum candorem ac pietatem, itemq; charitatem Christiano homine dignam, quæ non facile credit, quæ de proximo sparguntur; Verum in hoc lapsus est, quod ex imprudentiâ sibi ab *Ismaele* non cavet studiosius

Ἀξιωματόν τε.

1. τὰ λεξικά.

1. Rama. 2. Catenæ Jeremiæ. 3. Urbs Mizpa. 4. Ismaël, Johanan.

2. τὰ γνωμικά.

Observationem præcipuam merentur posterior pars, vs. 5. Item vs. 16.

3. τὰ δεικνυμένα.

Potest una concione expediri capitis enarratio; quod aliàs referri potest ad *Domin. Exaudi.*

CAPUT XLI.

Continuatio.

Insidiæ Gedaliæ ab *Ismaele* structæ, eiq; à *Johanne* patefactæ in capite præcedente: in hoc capite in effectum deducuntur *Gedaliæ* sceleratissimè occiso.

Argumentum Capitis.

Continetur in hoc capite narratio de *Gedaliæ* & aliorum per *Ismaelem* perfidissimâ interfectione, deq; reliquiarum per *Johananem* fidelissimâ liberatione. Est itaq; istud caput *ιστορικόν καὶ διηγητικόν.*

Partitio capitis.

Partes ejus duæ sunt: In 1. de *Gedaliæ* & aliorum quorundam

dam